
37 h. 14

DE IVSTITIA, ET VALIDITATE MONITORII, AC CENSVRARVM PAVLI QVINTI PONTIF. MAX.

In Ducem, ac Senatum Reipublic. Venetorum ſtatutarios, & eorum Fautores, Conſultores, & adhærentes, necnon loca eius Dominio ſubiecta.

BARTHOLOMÆI VGOLINI I.V.D.

TRACTATVS.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

BONONIÆ, Apud Io. Bapt. Bellagambam. 1606.
Superiorum permiſſu.

Sumptibus Simonis Parlaſchæ.

PAVLO QVINTO
PONT. MAX.

Bartholomæus Vgolinus. S. P. D.

NOLLEM, Beatiſſime Pater, tempora hæc veniſſe, in quibus hoc ſcribendi genere mihi vtendum eſſet, quo ſignificante perturbationem Apoſtolicæ Sedis Chriſti fidelium animi perturbantur: Verùm, quoniam ſic Deus Opt. Max. (in cuius occulta iudicia penetrare non poſſumus) id permiſit; ob eam rem ſumma ſua ſapientia cum noſtra vtilitate coniuncta, id ab eo permiſſum eſſe nos credere par eſt. Nam ecce hac perturbatione Chriſti fideles ad pia opera magis, magiſq; excitantur; praces ardentius ad Deum fundunt; templa ob imminentis periculi metum, & ſperatæ ſalutis liberationem implentur. Tuis verò virtutibus, Beatiſſime Pater, quàm latiſſimus campus eſt apertus? In eo ſingularis animi tui fortitudo excurrere poteſt; In eo tua ſumma prudentia elucere: In eo graue tuum iudicium cognoſci valet. Hinc tuarum virtutum poſteritati æternum monumentum relinquitur. Hinc, quod caput eſt, in cœlis ſumma fælicitas tibi paratur. Quid de ijs, qui litteras profitentur? Qui Doctiſſimi viri hac Apoſtolicæ Sedis perturbatione excitati partes eius tuendas ſuſceperunt? Hinc ſacrarum ſcripturarum, atq;

Canonum libri voluuntur. Hinc impiorum falſa dogmata confutantur, ac Dæmonis artes eluduntur. Quare, etſi ego omnium minimus ſum, quæ mea tamen erga Chriſtianam religionem pietas eſt, & erga ſanctiſsimam tuam obſeruantia, Tractatum hunc contrà quorundam impias opiniones de tuo Monitorio, atq; Cenſuris in Venetos latis conſcripſi, & tuæ Beatitudini, quæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in terris caput eſt, atque Chriſti Domini Vicarius, cuius auctoritas in primis im
probórum telis nunc petitur, dedicaui. Benigno igitur animo Be
tiſſime Pater hoſce labores vti meæ erga te ſingularis obſe
uantiæ argumentum accipias. Vale. Barbiani Idibus S
ptembris M. D C. V I.

De Iuſtitia, & Validitate Monitorij, ac Cenſurarum contra Venetos.

TRACTATVS.

CAP. I.

SVMMA.

Cauſæ, quamobrem Autor Monitorij huius ſuſceperit tractationem.

POSTEAQVAM legi Monitorium Pauli Quinti Pontificis Maximi, necnon Cenſuras in Ducem, Senatumq; Reipub. Venetorum, & in quoſdam alios promulgata ob quædam decreta ab ipſis contra Sed: Apoſt. ac libertatem Eccleſiaſticam edita: & ad meas manus peruenerunt etiam litteræ quædam eorum; necnon cuiuſdam Theologi, quibus aſſerebant, Monitorium iniuſtum, inualidum, nullumq; eſſe; ac itidem cenſuras in ipſos, locaq; eorum per illud latas: planè id grauiter, moleſteq; tuli, vidēs Sereniſſimam Venetorum Rempubl. quæ de Chriſtiana religione benemerita ſemper fuit, & veræ fidei gloria perpetuò floruit; Pontificemq; Maximum Chriſti Domini in terris Vicarium aſſiduè coluit, in id erroris ſummo omniū bonorum dolore nunc incidiſſe (perenni noſtræ ſalutis hoſte id operante) vt modò Eccleſiam ſuis iuribus priuare non dubitet; Chriſtianam religionem in ſuis locis per impios fœdare permittat, & Pontifici Maximo eius ſalutem ipſi ſuadenti obtemperare recuſet, Theologū verò illum eo lapſum eſſe, vt Sanctorū Patrū dicta refutare, Summorum Pontif. ac Sacr. Concil. Canones, ac Decreta reſpuere; &, quod grauius eſt, ſacram ſcripturam diuinitus traditam varijs technis adulterare non dubitauerit.

biтauerit. Qoare, &ſi à ſcribendo contra horum errores ceſſandum mihi propoſueram; & quod Iuſtitia, ac Validitas ipſius Monitorij, ac Cenſurarum Pauli Quinti talis, ac tāti Pontificis per ſe ſatis nota, ac manifeſta erant; & quòd ad litteras Theologi illius duo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ clariſſima lumina Illuſtriſsimi, ac Reuerendiſſimi Cardinales Bellarminius, atq; Baronius, ille ſpeciatim, hic generatim reſponderunt, eiuſq; grauiſsimos errores, atq; hæreſes confutarunt; ac denique, quod inducere animum in id non poterā, quin Dux, ac Senatus à contumacia quàmprimum diſcederēt, & ad ſui Paſtorem redirent, ob has rationes huculq; à ſcribendo m continui. Verùm, vbi animaduerti, ipſos in contumacia pe ſeuerare, & nihil tam clarum eſse, quin obſcurius appareat lenti benè agere; & materiam hanc, &ſi ad Theologos per net, cum tamen de cenſuris agatur, de quibus Tractatus p res conſcripſi, ad Iuris Pontificij Profeſſores etiam ſpect rationibus hiſce ductus, Monitorium hoc iuſtiſſimum, ac diſſimum eſſe, necnon cenſuras per ipſum latas, proban mihi propoſui, argumentationibus eius Theologi ijs ta improbatis, quæ Monitorium ipſum, ac cenſuras oppu viderentur, reliquis ad rem hanc non pertinentibus o iam igitur rem aggrediamur.

S V M M A.

Factum, & cauſa, quamobrem Paulus Quintus Moni cenſuras in Venetos tulerit.

I.

§. CVm Paulus Quintus Ducem, ac Senatum necnon quoſdam alios excōmunicauerit, Dominio ſubiecta interdicto ſubiecerit ob quatuo

Primò, quòd Iuriſdictionem Eccleſiaſticam v incapiendis, & in carcerē conijciēdis Eccleſiaſtic

Secundò, quòd ſuis Iuribus Eccleſias, ac pia l conati ſint, ſtatuendo ne bona Eccleſiaſtica, alioru locorum à laicis per emphiteuſim conceſſa ob lin

aliamuè cauſam caduca facta ad Eccleſias, piaq; loca redeāt.

Tertiò, quòd diuinum cultum in detrimentum ſalutis animarum diminuire auſi ſunt, prohibendo varijs pœnis propoſitis, ne Eccleſiæ, aliauè pia loca ſine Senatus licentia in ſuo dominio conſtruantur.

Poſtremò, quòd & alia ratione animarum ſalutem inpedire non dubitarunt, ſtatuendo ne pijs locis bona immobilia quocunque titulo relinquantur, in fauoremvè eccleſiaſticarū perſonarum ſine eiuſdem Senatus licentia, alienentur, vt hęc latius habentur in ipſo Monitorio. Quæ omnia contra auctoritatem Apoſtolicę Sedis, & contra libertatem, immunitatemq; Eccleſiæ ſunt.

His tamen non obſtantibus, ſcilicet Monitorio, ac cenſuris, idem Dux, atq; Senatus non modò à contumacia non diſceſſerunt, & prædicta non reuocarunt: verùm contra verbis, ac factis cenſuras violare non dubitarunt. Verbis, quoniam litteris quibuſdam ad Patriarchas, Archiepiſcopos, & alias Eccleſiaſticas perſonas miſſis, auſi ſunt aſſerere, Monitorium ipſum iniuſtum, inualidum, nullumq; eſſe, & idcirco nec cenſuras per ipſum latas valere, aſſerendo, ſe pręter Deum in temporalibus neminem alium Superiorem habere. Quorum opinionē tutari conatus eſt quidam Theologus, ſuo nomine tacito, in quodam libello inſcripto: *Riſpoſta d'vn Dottore di Theologia ad vna lettera ſcrittagli da vn Reuerendo ſuo amico ſopra il Breue di Cenſure dalla Santità di Paolo Quinto publicate contra li Signori Venetiani*. Factis autem contra cenſuras ipſimet faciendo, & cogendo Sacerdotes, & Eccleſiaſticas perſonas, non obſtante loci Interdicto generali, contra formam iuris, Miſſam, & alia diuina officia per interdictum prohibita, celebrare, morte ipſis propoſita, ſi non celebrent. Quare, quòd acta à Pontifice Maximo contra ipſum Ducem, ac Senatum, necnon alios, de quibus in Monitorio, iuſtiſſima, atq; validiſſima ſunt; nec habent quicquam Veneti quod quærantur: ob eam rem hęc probanda mihi propoſui, Monitorium ipſum iuſtiſſimum, ac validiſſimum eſse, & cenſuras itidem per ipſum latas, id quod in ſequenti præſtabimus.

SVMMA.

SVMMA.

Monitorium, ac cenſura lata in Venetos, eorumq; loca validiſſima ſunt ratione cauſæ efficientis.

Pontifex Maximus Poteſtatem, & Iuriſdictionem fori Eccleſiaſtici in omnes habet.

Pontifex Maximus Poteſtatem, ac Iuriſdictionem Eccleſiaſticam à Chriſto Dno. habet.

Pontifex Maximus neminem à ſua Poteſtate Eccleſiaſtica eximere poteſt.

Pontifex Maximus priuilegium nemini concedere poteſt, quominus ab ipſo excommunicari poſſit.

§. Quæſtio igitur hæc propoſita eſt mihi explicanda; an Monitorium prædictum; & cenſuræ per ipſum latæ valida ſint. In qua quæſtione pro certo pono, atq; aſſero, prædictum Monitorium, ac Cenſuras per ipſum latas iuſtiſſimas, ac validiſſimas eſſe, & nullo modo iniuſtum, inualidum, nullumuè ipſum dici poſſe, nec cenſuras. Id quod hac vna potiſſimum ratione probo. Nam, ſi Monitorium hoc inualidũ, iniuſtum, nullumuè eſſet id contingeret vna ex his quatuor cauſis, ſcilicet vel ratione cauſæ efficientis ipſius Monitorij, vel finis, vel materiæ, vel formæ eiuſdem (nulla enim alia cauſa datur quoad hoc) at nulla ex his quatuor cauſis tale dici poteſt, vt probabo. Ergo nequaquam iniuſtum, inualidũ, ac nullum dici poſſe concludo. Valet enim argumentum à partium enumeratione, vt habetur in tot. tit. de oblig. quæ ex quaſ. contract. & in tit. de oblig. quæ ex quaſ. delict. in Inſtit. & in §. Actionum eod. de Act. & in l. obligationum ferè §. placet ff. de act. & oblig. & in l. patre furioſo ff. de ijs, qui ſunt ſui, vel alien. iur. vbi Bart. ac DD. & in c. cum dilecti, & ibi Abb. de iur. patron.

Quoad cauſam efficientem igitur, quòd & Monitorium, & Cenſuræ per ipſum latæ valida ſint, probatur hac ratione. Nam lata ſunt à Pontifice Maximo, qui poteſtatem, ac iuriſ-

dictionem

diſtionem Eccleſiaſticam in vniuerſos habet. Id quod hîc patet, quòd Petro, & Succeſſoribus eius, & idcirco Paulo V. dictum eſt. Tibi dabo claues Regni cœlorũ, vt habetur apud S.Matthæum cap.16. Ipſi dictum eſt eod.cap.16. Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, quod refertur in c. quodcunq; 24. q. 1. & in c.ſolitæ de maior.& obed. & in c.à nobis 2. de ſent. excom. Ipſi dictum eſt Paſce oues meas, non diſtinguens inter has oues, & alias, vt alienum à ſuo demonſtraret ouili, qui Petrum, & Succeſſores eius Magiſtrum non recognoſcerent, & vt intelligeretur ſibi commiſiſſe vniuerſa, vt refertur in cit.c.ſolitæ,& in extrauag.vnam Sanctam: de maior. & obed. Ipſe in plenitudinem poteſtatis aſſumptus eſt, vt dicitur in c.ad honorem: de vſu pal. Ipſe deniq; Pontifex Petri,& Ieſu Chriſti Succeſſor eſt, vt habetur in c.licet: de transl. Epiſcop. & facit, quod dicitur apud S.Matth. cap. 27. Si peccauerit in te frater tuus, &c. fundamenta ibi, Quæ ore diuino: de elect.lib.6.& c.cuncta per mundum 9. q. 3. Si ergo in omnes poteſtatem, ac iuriſdictionem Eccleſiaſticam habet, & idcirco non fori interioris tantùm, ſed exterioris, meritò in contumaces cenſuras ferre poteſt, & idcirco & in Venetos potuit. Nam ad cenſuras ferendas Iuriſdictio hæc neceſſariò poſtulatur, vt inquiunt DD. Gloſſ. in Clem. vnic.in verb. Iuriſdictionem: de foro comp. & in Extrauag. Execrabilis verſic. Viſitare: de præben.& Abb.in c.dudum 2. num.7. verſ.Quædam verò eſt cura: de elect.& in c.cum contingat propè finem verſ. ſexta concluſio: de for.comp.& in c.3.de pœn.& Ego in Tractat. meo De Cenſur. Tab.1. cap.2.§.11.& §.18.cum ſeq. vbi rem hanc pluribus probaui.

Præterea hãc poteſtatem,& Iuriſdictionem Eccleſiaſticam ita habet, vt ab ea eximere Sũmus Pontifex neminem poſſit. Idq; meritò, nam ſi daremus hoc, abſurda multa conſequerentur. Primò poſſe Pontificem Maximum eximere quem à Chriſti Domini poteſtate, cuius vicem in terris gerit, quod impium eſt dicere; eximi enim nemo poteſt à Dei poteſtate, vt per ſe patet, & facit c. 2. de translat. Epiſcop. Hinc Dauid ille Sanctiſſimus dicebat, Quo à facie tua fugiam? Hinc Pri-

uilegium à Romano Pontifice concedi cuipiam non poteſt, ne ab ipſo cenſura obligari poſſit, vt aſſeruit Io. Andr. quem refert, ac ſequitur Abb. ac DD. in c. cum inſtantia num. 6. de cenſ. & alij, quos retuli, ac ſequutus ſum in eod. meo Tractat. De Cenſur. Tab. 1. cap. 2. §. 12. nu. 11. Sequeretur item, hûc vel Accephalum eſſe, contra c. cùm non liceat: de præſcript. Nam Eccleſia vniuerſalis vnum corpus eſt, cuius caput in cœlis eſt Chriſtus Dominus, in terra verò eius Vicarius Romanus Pontifex; Reliqui fideles membra eius, vt probaui in Tract. De cenſur. Rom. Pont. reſer. par. 2. cap. 1. verſ. Necn. ſchiſmaticos nu. 3. vel alteri capiti ſubiectum eſſe, quòd e contra Extrauag. 1. de maior. & obed. quamobrem & ſchiſmaticus eſſet, vt qui plura capita Eccleſiæ faceret, & idcir hæreticus, & excommunicatus, vt probaui eod. verſ. §. 1. c ſequen.

Poſtremò ſubijci Romano Pontifici eſſe omnino de ceſſitate ſalutis omni humanæ creaturæ Bonifacius Oct declarauit, dixit, ac definiuit in cit. Extrauag. de mai obed. & qui contra ſentiunt, ſcilicet, ſe non eſſe ſubiect tro, & ſucceſſoribus eius, fateantur, neceſſe eſt, inquit ib Bonifacius, ſe de ouibus Chriſti non eſſe, dicente Dor Ioan. Vnum ouile, & vnicum Paſtorem, ita dixit id tifex in cit. Extrauag. Summus Pontifex igitur pot ac iuriſdictionem Eccleſiaſticam in omnes habet, omnes etiam excommunicare, & cenſuras, aliasq; eos ferre, & idcirco in Venetos potuit, & poteſt. gorius Nonus Fridericum Imperatorem anathem lo innodauit, vt refertur in c. 2. de re iud. lib. 6. qu ius Imperium, ac dignitatem Venetis habebat, & ni Pontifices Reges alios eadem pœna affecerũt. Henricum Angliæ Regem in Bulla in ordine 20 Redemptor noſter, & Pius Quintus Heliſabet R Angliæ in Bulla in ordine 102. incip. Regnanti in omnes igitur iuriſdictionem Eccleſiaſticam R tifex habet.

Secundò Rom. Pontifex, qui excõmunicatio

cenſuras in Venetos tulit non ſolũ Iuriſdictionẽ prædictã habet verumẽt & eius vſum. Non enim vllo impedimento diuino, naturaliuè eius iuriſdictionis vſum impeditũ habet, quod per ſe conſtat. Non ẽt poſitiuo impedimento, quandoquidẽ ipſi poſitiuo iuri ſubiectus ipſe non eſt c. propoſuit: de cõceſſ. præben. Id quod requiritur ad iuriſdictionem exercendam, & cenſuras ferendas, ne ſcilicet eius vſum impeditum quis habeat. c. audimus 24. q. 1. & ibi Gloſſ.ſum.& in c. ad probandum: de re iud. & vt aſſerunt Abb.in c.&ſi ab excommunicato: nu. 7. de reſcript. & Bart.in l. ſi arbiter C. de ſent. & interlocut. omn.iud.& Iaſ. in l. Barbarius nu.61.ff. de off. prætor. & DD.in c. ad probandum: de re iud.& Vant.in tit. de nullit. ſent. ex defect.iuris ordin. nu.137. Et ego in ead. Tab. 1. De Cenſur. cap. 2. §. 23. vbi rem hanc pluribus egi.

Ex quo igitur Monitorium,& Cenſurę lata ſunt ab habente ad id poteſtatem in omnes, eamq; non ſuſpenſam; meritò validiſſima, ac firmiſſima ſunt. Nam ex parte cauſæ efficientis, ideſt cenſuram ferentis præter voluntatem, & ſcientiam, quæ hic non deſiderantur, nihil deinceps neceſſario poſtulatur, niſi Iuriſdictio Eccleſiaſtica fori exterioris in eos, in quos fertur, vt dixi,& id abundè probaui in eod. cap. 2. Nec facit, ſi dicatur requiri etiam iuſtam cauſam, quò cenſuræ iuſtè ferantur; nam & hac ratione iuſtiſſimè latas fuiſſe in tertio capite probabo. Hic enim ſatis habui probare, Romanum Pontificem habere Eccleſiaſticam poteſtatem, ac iuriſdictionem in omnes, & idcirco potuiſſe Ducem Venetorum,& alios, de quibus in Monitorio, contumaces excommunicare,& eorum loca Interdicto ſubijcere,& alijs etiam pœnis afficere. Sed de cauſa efficiente Monitorij ſatis, iam ad cauſam finalem tranſeamus.

CAP. II.

SVMMA.

Cauſa finalis, quamobrem à Pontifice Maximo Monitorium, & Cenſuræ in Ducem Venetorum, & alios lata ſunt, de quibus in Monitorio, quæ, & quotuplex ſit.

QVò ad cauſam finalem etiam, quòd Monitorium, & Cenſuræ à Pontifice Maximo lata in Ducem Venetorum, & cæt. & iuſtiſſima, & valida ſint, hinc probatur; quoniam ob tres potiſſimum cauſas lata ſunt. Primum, ne Eccleſijs ſua bona, atq; iura auferantur, & ne iuriſdictio Eccleſiaſtica ab ipſis vſurpetur, quæ duo fiunt per ſtatutum promulgatum à Duce, & Senatu Veneto, ne bona Eccleſiaſtica laicis in emphiteuſim conceſſa, ob quamcunq; cauſam caducitati ſubiecta ſint; & ne vtile dominium cum directo conſolidetur, quod iuri repugnat, vt habetur in l. 2. & l. fin. C. de iur. emphit. vbi DD. & c. fin. de locat. vbi Canoniſt. Item id fit in capiēdis, & in carcerem conijciendis Eccleſiaſticis perſonis, de quibus in ipſo Monitorio.

Secundò, ne Diuinus cultus, animarumq; ſalus impediatur, id quod fit duobus alijs ſtatutis ab eodem Duce promulgatis, ſcilicet ne Eccleſiæ, & aliæ pia loca ſine auctoritate Ducis, & Senatus in ſuo dominio conſtruantur. Item & ne bona immobillia, ac ſtabilia eiſdem pijs locis relinquantur ſine prędicta licentia, grauiſſimis pœnis in cōtrafacientes propoſitis.

2 Poſtremò, vt auocentur ipſe Dux, ac Senatus à grauiſſimis peccatis, quæ commiſerunt ob prædicta ſtatuta in præiudiciū auctoritatis Apoſtolicæ Sedis, ac Romani Pontificis, necnon iurium Eccleſiarum, ac libertatis, ac immunitatis Eccleſiaſticæ promulgata, quæ libertas, atq; immunitas per eadem ſtatuta tollebantur; ac demum, vt ſcandalum datum tollatur. Hę igitur cauſę finales ſunt, quibus Pontifex Maximus Monitorium, ac Cenſuras in prædictos Venetos tulit, vt colligitur apertiſſimè ex verbis ipſius Monitorij in verſ. Cùmq; præmiſſa; ibi enim verba (quæ ad animi noſtri conceptus ſignificandos inuenta ſunt, vt docuit Philoſoph. in libello de interpret. in proem. & arg. l. ad recognoſcendos C. de ingen. manumiſ. & c. intelligentia de verb. ſignif.) Verba, inquam, ibi has cauſas oſtendunt; quibusquidē cauſis quid iuſtius? quid æquius? quid ſanctius eſſe poteſt? Diuinus cultus conſeruatur, Apoſtolicæ Sedis auctoritas non læditur, ſua iura Eccleſijs conſeruantur, atque homines à peccatis amouentur. Ratione

tione cauſæ finalis igitur Monitorium; & Cenſuræ per ipſum lata, iuſtiſſima, ac validiſſima ſunt: ad materiam tranſeamus.

CAP. III.

SVMMA.

Ratione materiæ Monitorium, ac Cenſura in Venetos lata iuſtiſſima, ac validiſſima ſunt.

Statuta, ac Decreta Ducis Venetorum finem ſupernaturalem Eccleſiaſt. poteſtatis impediunt, qui finis æterna beatitudo eſt.

Pontifex Maximus coercere poteſt eos, qui ſuam iuriſdictionem impediunt.

Iuriſdictio ſine coërctione parum prodeſt.

Romanus Pontifex, Imperatores, Reges, aliosq́ Principes excommunicare & deponere poteſt, vbi ſuis populis ſcãdalum præbẽt, & per ipſos ſalus ſubditorum periclitatur.

Item, & Coadiutorem dare.

Seculares Principes de ſpiritualibus diſponere non poſſunt.

Sacrilegium committitur vſurpatione iurium Eccleſiaſt. & Iuriſdictionis Eccleſiæ.

Sacrilegus, ſi non ſatisfacit, excommunicari poteſt.

Auocare quem à pijs operibus grauiter offendit.

Hali à Deo fuit punitus cum filijs, quòd ipſos non correxerat.

Dux Venetorum, ac Senatus grauiſſimè peccarunt ob ſtatuta prædicta.

Romanus Pontifex habet ipſe diſcernere de peccato, & ſi quem corrigat, & correctionem contemnat, punire ipſum poteſt.

Papa poteſt tollere ſtatuta, & conſuetudines laicorum, vbi ſunt cauſa peccati.

Poteſtas Eccleſiaſtica ſecularem iudicare, & coercere poteſt, vbi à recta diſcedit.

QVoad tertiam cauſam itidem, ſcilicet, quod Monitoriũ, & Cenſuræ à Pontifice Maximo in Ducem, ac reliquos prædictos lata ratione materiæ iuſtiſſima, ac validiſſima ſint, his rationibus probatur. Primò, quoniam per decreta, &

ſtatuta ab ipſo Duce promulgata impeditur finis ſupernatu-
ralis Eccleſiaſticæ poteſtatis datæ à Chriſtò Domino, qui fi-
nis æterna beatitudo eſt, vt colligitur ex definitione eius po-
teſtatis tradita de grauiſſimorum Doctorum ſententia à Na-
uar. in cap. nouit. not. 3. nu. 82. de iud. Nam ſtatutis, & de-
cretis prædictis, Eccleſiæ, & pia loca ſuis bonis priuantur: ex
quo ipſis vetitum eſt, ne ea in emphiteuſim laicis conceſſa,
caduca fiant. Quæ bona à fidelibus pro redemptione ſuoıū
peccatumor, ac pro ſalute ſuarum animarũ eiſdem locis con-
donata ſunt. Quæ bona Eccleſiaſticis perſonis, quæ aſſiduè
ſacroſancta ſacrificia pro ſalute fidelium offerunt Deo, & ad
eundem aſſiduè præces fundunt, alimenta ſuppeditantur, &
pauperes etiam ſuſtentant. Quibus quidem rationibus pec-
catorũ pœnæ remittuntur, & in cœlum iter aperitur. Secũdò
quia in capiendis eccleſiaſticis perſonis, in carceremq; conij-
ciendis, & in foro laicorum ipſis vexandis, à diuinis officijs
ſedẽ Eccleſ. perſonę amouentur; ex quo in iudicio laicorũ iu-
dicãdi ſunt, quibus Eccleſiaſticę perſonæ ſæpius odio ſunt, vt
experiẽtia in caſu noſtro præſertim nunc docet, vt infra etiam
diximus. Tertiò per eadẽ ſtatuta Chriſtifideles retardantur,
ne liberè tẽpla, & loca pia cõſtruãt, in quibus Deus laudibus
celebratur, ac colitur, & pauperes ſuſtẽtantur. Item & ne pro
ſuis peccatis, animarũq; ſalute bona ſtabilia eiſdem locis, vt
liberè relinquãt, impediuntur, quibus pijs operibus ſalus ani
marum, ideſt finis ille ſupernaturalis comparatur. Si ergo
per prędicta ſtatuta, ac decreta ſupernaturalis ille finis Eccle
ſiaſticæ poteſtatis impeditur; meritò Pontifex Maximus, qui
eam ſupremam poteſtatem habet (Petro enim, & Succeſsori-
bus eius dictum eſt, Quodcunq; ligaueris ſuper terram erit
ligatum & in cœlis, vt habetur apud S. Matthæum cap. 16. &
eidem dictum eſt apud Ioan. cap. 20. Paſce oues meas, & alia,
quę ſupra diximus) meritò inquam Pontifex Maximus pote-
ſtatem hãc à Deo ipſi datam, tueri poteſt, ac debet, & idcirco
cenſuris coercere Ducem, & Senatum potuit; Conceſſio. n.
aliquo, & omia conceſſa eſſe intelliguntur (naturali ratione
id ſuadente) ſine quibus conceſsũm haberi nequit l. 2. & ibi

Iaſ.ac DD.ff. de iuriſd.omn.iud.& l.3.§.fin. in fin. ff. de pen. leg.& in l. veteris ff. de itiner.act.priuat. & c.1.& c. præterea, & c. ſuſpitionis de off. deleg. cum ſimil.& facit c.per venerabilem verſ. Verum etiam in alijs regionibus:qui fil.ſint legit. Alioquin poteſtas hæc Eccleſiaſtica inutiliter, ac fruſtra conceſſa eſset:cùm inanis ea iuriſdictio, ac poteſtas ſit, quæ nullā coërctionem habet c. ex litteris de off. deleg.& c.vbi periculum §. præterea de elect. lib.6.& vt experientia rerum magiſtra docet. Quod hic dicendum nullo modo eſt. Deus enim, & natura nihil fruſtra operantur. Quare ob hanc rationem, ſcilicet,vbi impeditur finis ille ſupernaturalis,impeditiuè timetur ab Imperatoribus, Regibus, alijsuè Principibus, qui ſcandalum ſuis populis præbent,quamobrem ſubditorum ſalus periclitatur,à Pontifice Maximo ijdem Principes excommunicantur,atq; deponuntur. Hinc à Zacharia Childericus Rex Francorum ob id depoſitus eſt, vt refertur in c.alius 25. b. 6. & ab Innocentio Quarto Fridericus, vt habetur in c. 2. de re iud. lib. 6. & ab Innocentio Arcadius Rex excommunicatus, quòd conceſserat,vt S. Ioannes Chriſoſtomus à ſua ſede pelleretur,& à S.Ambroſio Epiſcopo Mediolani Theodoſius Magnus eadem pœna eſt affectus, vt refertur in c. duo d. 96. & ab Innocentio Tertio quidam electus Imperator ob eius deprauatos mores,ne ſuis vitijs ſubditos inficeret,ab Imperio fuit remotus, vt habetur in c.venerabilē:de elect. & ob huiuſmodi periculum Innocentius Quartus Regi Coadiutorem dedit, vt refertur in c.2.de ſupplend.neg.prælat.lib.6.& Imperatore mortuo,rationeuè alia depoſito,ne populi in crimina elabantur,cautum eſt,vt Papa Imperium gubernet c.licet, & ibi Gloſſ. de for. comp. & clem.1. propè finem: de re iud. vt mittam in præſenti recentiores Reges,qui ob eandem rationem à Summo Pontifice excommunicati,& Regno priuati ſunt. Iuſtiſſimè igitur Dux Venetorum,ac Senatus, qui prædictis decretis finem hunc impedire conati ſunt, excommunicatione fuerunt obligati, & quoniam ad præſcriptam ipſis diem a contumatia non diſceſserunt, eorum loca interdicto ſubiecta.

Secundò, quòd Dux, & prædicti, de quibus in Monitorio, legitimè excommunicati ſint, ratione hac probatur: quoniam de rebus ſacris, & idcirco de ſpiritualibus, & ipſis annexis, videlicet de perſonis Eccleſiaſticis, & rebus Eccleſiaſticis diſponere auſi ſunt, illas in carcerem conijciendo, has quodammodo ob caducitatem probibitam auferẽdo (res enim ſacræ, ſunt perſonæ ſacræ, loca ſacra, & res ſacræ.) Rerum verò ſacrarum quatuor ſpecies ſunt. Primò ſacramenta. Secundò vaſa ſacra. Tertiò ornamenta ſacra. Quartò bona, ſiue mobilia, ſiue immobilia ſint Eccleſiarum (ita aſſeruit S. Tho. communiter recept. 2. 2. q. 99. art. 3. & ibi Caiet.) ergo diſpoſuerunt de rebus ad ſe non pertinentibus; poteſtas enim, quibus Mundus regitur, duplex eſt, Alia ſpiritualis. Alia ſecularis. Spiritualis regit ſpiritualia, atque ſacra. Secularis verò ipſa ſecularia, & idcircò non poteſt tractare ſacra, atq; ſpiritualia, ipſiſuè annexa, ita habetur in c. ſolitæ verſ. Præterea noſce debueras: de maior. & obed. Fecit Deus, ait enim ibi Summus Pontiſex, duo magna luminaria, ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas; ſed illa, quę pręeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, maior eſt. Quæ verò carnalibus, minor. Ecce hic haberi, poteſtatem Regiam, ac ſecularem carnalia, ac ſecularia tractare, Pontificalem autem ſpiritualia; non ergo decernere quicquam Dux, ac Senatus de ſpiritualibus potuerunt; idem habetur in c. nos ſi incompetenter, verſ. ſed notandum eſt 2. q. 7. Notandum enim eſt, inquit ibi Leo Quartus, quòd duæ ſũt perſonæ, quibus Mundus iſte regitur, Regalis, videlicet & Sacerdotalis. Sicut Reges pręſunt in cauſis ſeculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei. Ecce hic quoq; apertiſſimè haberi, ad Principes ſeculares ſecularia pertinere, & ad Eccleſiaſticas perſonas Eccleſiaſtica, & ſacra. Iure igitur, & Dux, & prædicti ſupra fuerunt excommunicati, ex quo in meſſem alienam falcem mittere auſi ſunt, & de rebus ſacris, ac ſpiritualibus, quæ ſunt Dei, vt in cit. iuribus habetur, diſponere non dubitarunt, & idcirco decreta ab ipſis facta, iniuſta, & nulla ſunt, vt qui extra ſuæ iuriſdictionis terminos egreſsi ſint, contra c. fin. de conſtit. & ibi Canoniſt. & l. fin.

fin. vbi quoq; DD.ff.de iuriſd. omn. iud. Hinc Ozias, quòd Sacerdotum officia vſurpare voluit, à Domino lepra percuſſus eſt, vt habetur lib.2.paralipom.cap.26.& refertur in eod. verſ.ſed notandum eſt. Hinc falſa conuincitur opinio illius Theologi nullius nominis, qui Ducem Venetorũ diſponere de rebus Eccleſię,& Eccleſiaſticas perſonas coercere poſſe,aſſeruit, vt ex dictis cõſtat,& ex infra dicendis latius apparebit.

Tertiò ob hanc aliam rationem quoq; iuſtiſſimè, ac legitimè prędicta pœna excommunicationis,atq; interdicti in eoſdem lata eſt,quoniam ſacrilegia plura commiſerunt. Primò auferendo ſua iura Eccleſijs, & locis pijs,ſtatuendo, ne bona Eccleſiæ, & aliorum piorum locorum in emphiteuſim laicis conceſſa vlla ratione caduca fiant, vt ſupra dictum eſt. Secundò in capiendis Eccleſiaſticis perſonis,& in carcerẽ cõijciendis,& ſic vſurpando eccleſiaſticam iuriſdictionem,quam ipſi non habent,quibus rationibus ſacrilegium committitur, ſcilicet vſurpatione iurium Eccleſiarum,& piorum locorum,& iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt habetur in c.ſacrilegium,& in c.ſeq.17.q.4. & in c.prædia, & in c.nulli 2.q.12.& in cap. ſi quis principium 16.q.7. & in c. cùm ſit, & ibi Gloſſ. ac DD. de for.compet.& in c.conqueſtus eod.vbi de vſurpatione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ facta à Iudice laico agitur, & vt dixit S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 3. Ergo hac quoq; ratione iuſtiſſimè,ac validiſsimè excommunicati ſunt, ex quo à contumatia diſcedere, & ſatisfacere noluerunt. Nam, qui ſacrilegium committit, & admonitus nõ ſatisfacit,excommunicari poteſt, vt habetur in cit.c.nulli, & in c. quicunq; ead. q. 2. & in c.ſicut 17.q.4. & in cit. c. conqueſtus, vbi qui iuriſdictionẽ Eccleſiaſticã vſurpauerant, vti ſacrilegos anathemate feriendos mandat ibi Summus Pontifex, quouſq; ſatisfacient: & Fridericus Imperator ob ſacrilegium cõmiſſum in capiendis eccleſiaſticis perſonis fuit excommunicatus,& Regno priuatus, vt refertur in c.2.verſ.Perpetrauit ſacrilegium: de re iud. lib.6. Ob cauſam quoq; hanc igitur iuſtiſſimè prædicti excommunicati ſunt, & eorum loca interdicto ſubiecta; & idcirco eorundem decreta nulla,& inualida.

C Quar-

Quartò iuſtiſſimè, ac validiſsimè excõmunicati ſunt, quoniam, ex quò per ſtatuta, ac decreta ipſorum prohibitum eſt, ne ſine ipſorum licentia Templa conſtruantur, & ne bona ſtabilia pijs locis relinquantur, grauiſſimis pœnis propoſitis, Chriſtifideles à pijs operibus auocantur, quod in detrimentum Diuini cultus, & ſalutis animarum redundat, vt per ſe patet. At auocare quempiam à pijs operibus graue peccatum eſt, vt de filijs Hely habetur libro 1. Reg. cap. 2. Erat ergo, dicitur ibi, peccatum puerorum graue nimis coram Domino, quia retrahebant homines à ſacrificio Dei. Hæc ibi, ex quibus apparet, graue crimen eos concipere, qui à pijs operibus homines auocant, & grauiter etiam in hac vita à Deo puniri, quod contigit prędictis filijs, ac patri, qui eos non correxerat, quandoquidem omnes vna die violenta morte perierunt. Meritò igitur Pontifex Maximus, qui pater omnium in Chriſto eſt, quò & Ducem, & prædictos ab hoc graui peccato deterreret, quò diuinam vltionem effugerent, excommunicatione eos affecit, & eorum loca interdicto ſubiecit.

Accedit, quòd hiſce decretis impietatem magnam erga Chriſtum Deum oſtendunt, quoniam in ſuo Dominio incapacem bonorum ſtabilium eum quodammodo reddunt, id quod viliſſimæ perſonæ non faciunt. Nam, quæ Eccleſijs, & pijs locis relinquuntur, eorum Dominus Deus, & Chriſtus eſt, non iure illo diuino, de quo in Pſalm. dicitur, Domini eſt terra, & plenitudo eius, ſed diſpoſitione hominum, vt paulo poſt probabimus.

Poſtremò facit, quoniam Dux, & prædicti mortiferè, & grauiter peccarunt ob ſacrilegia commiſſa, & alia, vt vidimus, ſcilicet in auferendis iuribus Eccleſijs, & alijs pijs locis, & iuriſdictione Eccleſiaſtica vſurpanda, & auocandis hominibus à pijs operibus, in quibus peccatis etiam admoniti perſeuerãt. At ratione mortiferi peccati Romanus Pontifex non ſolùm punire poteſt quoſcunq; laicos, vbi iam peccatum commiſerunt, & admonitos ipſius non pœnitet; verùm etiam pœnis propoſitis, ne grauia quædam peccata in perniciem fidelium committant, cauere valet c. 1. de vſur. lib. 6. & c. 1. de homicid.

eod.lib.6. Ad ipſum .n. pertinet diſcernere de peccato, & ad ipſum eius cenſura pertinet, & quemlibet Chriſtianum de quocũque mortali peccato corripere, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere: ita dixit Innocentius III. in c. nouit verſ. ſed decernere, & in verſ. Cum enim: de iud. Nam in verſ. 1. ſic inquit, ſed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet excercere poſſumus, & debemus, & in altero verſ. ſic addit, Cum enim non humanæ conſtitutioni, ſed diuinæ potius innitamur, quia poteſtas noſtra nõ eſt ex homine, ſed ex Deo; nullus, qui ſit ſanæ mentis, ignorat, quia ad officium noſtrum ſpectet de quocunq; mortali peccato corripere quẽlibet Chriſtianum, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere. Hæc ibi Summus Pontifex; ex quibus patet apertiſſimè, ex quo grauiſſimè peccarũt ob prædicta eorum decreta, ac facta, & admoniti ea non reuocarunt, nec à contumatia diſceſſerunt, potuiſſe, ac debuiſſe excommunicari, & legitimè, ac iuſtiſſimè excommunicatos eſſe. Etenim & ratione peccati ſtatuta iniuſta, & cõſuetudines huiuſmodi laicorum tollere Summus Pontifex poteſt, vt not. Abb. in c. ad noſtram verſ. Nota ſecundò ibi, Et ſecundũ hoc de probat. & in c. fin. nu. 2. de præſcript. & ſequitur Dec. in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 30. verſ. ſecunda concluſ. ibi, Vnde ratione peccati: de conſtit. & facit ciae. fin. de præſcrip. & Gloſſ. id pluribus probat in c. poſſeſſor malæ fidei, de reg. iur. lib. 6. Id quod locum habet, vel peccatum veniale lex, vel cõſuetudo nutriat, vt aſſeruit Dec. eod. numero, & alij ab eo cit. & Abb. in eod. c. fin. de præſcript. nu. 2.

Accedit, quòd poteſtas hæc, quam exercuit in Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas Dux Venetorum, mala eſt, & aberrat à recta, vt ex dictis patet, ergo à poteſtate ſpirituali iudicari debet, ac corrigi, & ſi corrigi nolit, excommunicari. Nam, vbi poteſtas ſecularis deuiat, & bona non eſt, ſpiritualis poteſtas eam inſtituere habet, vt habetur in Extrauag. Vnam ſanctam: de maior. & obed. Nam inquit ibi Bonifacius VIII. Veritate teſtãte, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem in-

ſtituere habet, & indicare, ſi bona non ſit; ſic de Eccleſia, & eccleſiaſtica poteſtate verificatur vaticinium Hyeremię, Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & Regna, &cæt. Iure igitur optimo à Paulo Quinto Pontifice Maximo Dux, ac reliqui prædicti excommunicati fuerunt. His ita ſtantibus, quòd argumentum illius Theologi prædictis non obſtet, in ſequēti explicabimus.

S V M M A.

Argumentum Theologi, quo nititur probare, Ducem Venetorum, ac reliquos nulliter fuiſſe excommunicatos, nécnon loca interdicto ſubiecta, quod & quale ſit.

Principes ſeculares quod habeant poteſtatem in Eccleſiaſticas perſonas non colligitur ex illo dicto, Omnis poteſtas à Deo eſt.

Non colligitur etiam ex auctoritate illa Apoſtoli, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.

Romani Pontificis eſt declarare dubitationes, quæ in ſacris litteris occurrunt.

Eccleſiaſticæ perſonæ Principi ſeculari ſubiectæ non ſunt.

Poteſtas Eccleſiaſtica dignior eſt ſeculari.

Poteſtatem ſecularem poſſe diſponere de rebus Eccleſiarum, ac locorum piorum, non probatur ex prædictis auctoritatibus.

Bona Eccleſiaſtica, necnon locorum piorum ſunt Chriſti Domini, & qua ratione.

Principes ſeculares diſponere non poſſunt, ne à laicis bona ſtabilia pijs locis relinquantur.

I.

§ PRędictis ita ſtantibus, ſcilicet Ducem, ac reliquos, de quibus in Monitorio, iuſtiſſimè, ac legitimè fuiſſe excommunicatos, & loca eorum interdicto ſubiecta non obſtat argumentum illius Theologi nullius nominis, qui volens cōtrarium probare, ſcilicet nulliter prędictos excommunicatos eſſe, & nulliter loca ipſorum interdicta, ſic argumentari velle videtur, vt ex Epiſtola eius colligitur, omiſſis alijs ſuper uacaneis, quę ad rem hanc non pertinent, & ad quę Illuſtriſſimus,

854

ac Reuerendiſſimus Cardinalis Bellarminius ſigillatim doctiſſimè reſpondit.

Dux Venetorum eſt Princeps ſecularis, &cat.
Ergo Poteſtatem ſecularem habet à Deo immediatè, & ſine vlla exceptione.
Ergo, & ſubiectas habet etiam eccleſiaſticas perſonas.
Ergo eas obligare ſuis legibus poteſt.
Ergo, & de bonis Eccleſiæ, ac locorum piorum diſponere.
Ergo diſponendo de bonis Eccleſ. & locorum piorum, & coercendo Eccleſiaſticas perſonas delinquentes, & decernẽdo de bonis laicorum, ne ad loca pia veniant, non peccat.
Ergo excommunicari non poteſt.
Ergo ſi excommunicetur, eiuſq; loca interdicto ſubÿciantur, excommunicatio, atque interdictum nulla ſunt. Hæc eſt ſumma totius argumenti.

NOn igitur prędictum argumentum hoc obſtat. Nam aut colligere illud vult ex primo dicto, Quod poteſtas Principum ſecularium à Deo eſt immediatè, & ſine vlla exceptione. Aut ex dicto Apoſtoli, Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit, quo poſtremo dicto primum probare conatur, & his duobus dictis vis tota ſui argumenti nititur, vt fundamento, & baſi ipſius. Et ex nullo ipſum colligi poſſe concludo. Non ex primò, quoniam non neceſſario cõſequitur ex hoc dicto, Principes ſeculares habent poteſtatem à Deo immediatè, & ſine exceptione, ergo habent poteſtatem etiam in eccleſiaſticas perſonas, ſed benè hoc cõſequitur, Ergo habẽt poteſtatem in perſonas ſeculares. Tum quòd poteſtas ſecularis pro obiecto habet temporalia, & carnalia, vt habetur in c. ſolitæ: de maior. & obed. & in c. nos, ſi competenter verſ. ſed notandum eſt 2. q. 7. At perſonæ Eccleſiaſticæ non ſunt res ſeculares, ſed ſacræ, & idcirco ſpirituales, vt tradidit S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3. ergo poteſtas ſecularis iuriſdictionem in ipſas non habet. Etenim potentia in ſubiecto proportionato tantum operatur iuxta illud Phil. Omnes agens

agit in ſubiecto benè diſpoſito. Hinc potentia viſiua pro obiecto non habet ſonum, odores, ſaporesue: ſed colores, vt habetur apud Phil. lib. 2. de anima, & Empedocles, quem refert idem Phil. lib. 1. eod. ſignificare volens, potentiam habere debere ſubiectum ſibi accommodatum, quò operaretur, ſic dicebat, Terra terram intelligit; Aqua, aquam, Aer, aera. Poteſtas igitur hæc ſecularis debet habere materiam ſibi accommodatam, & idcirco perſonas ſeculares, non autem eccleſiaſticas. Tum quòd Eccleſiaſticæ perſonæ, & ſæculares ratione qualitatis cuiuſdam genere inter ſe differunt, vt dicitur in c. duo ſunt genera. 17. q. 1. Ergo poteſtas ſecularis ad ea, quæ diuerſo ſunt genere, pertinere non poteſt; ex diuerſis .n. non fit illatio l. Papinianus exuli ff. de min. & l. fin. in fin. ff. de calum. & l. naturaliter S. nihil commune, & ibi Gloſ. hac DD. ff. de op. nou. nunc. & l. inter ſtipulantem S. ſacram verſ. ſed hæc diſſimilia ſunt ff. de verb. oblig. cum ſimil. Hinc interdictis laicis, ſeu ſecularibus, Clerici interdicti non ſunt, neque è contrariò, vt habetur in c. ſi ſententia de ſent. excom. lib. 6, & Ego in Tractatu meo De Cenſur. Tab. V. cap. 20. S. 5. nu. 1. & facit c. ſedes de reſcript. Ex quo igitur & rationi ciuili, & naturali concluſio Theologi repugnat, falſum eſt, quod poteſtas hæc ſecularis data ſit ſine vlla exceptione, ita vt comprændat etiam eccleſiaſticas perſonas; nam immò eſt cum exceptione Eccleſiaſticarum perſonarum. Accedit, quod illud, ſine exceptione, non habetur in auctoritate Apoſtoli, quem citat; ipſe enim ſimpliciter inquit, Non enim eſt poteſtas niſi à Deo, non autem adeſt illud, ſine exceptione, quod bonus ille Theologus addit. Habito reſpectu igitur ad eccleſiaſticas perſonas, poteſtas ſecularis data eſt Principi ſeculari cum hac exceptione, Omiſſo dicto illo, Immediatè, quod in Duce Venetiarum locum non habet, vt id Illuſtriſſimus Bellarminius notauit. Non ergo argumentum illius Theologi colligitur ex primo dicto, vt vidimus.

Non etiam argumentum, ſeu concluſio Theologi colligitur ex eo dicto Apoſtoli, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit; Sententia enim illa generalis eſt, & tam

de

de poteſtate laica, quam de Eccleſiaſtica intelligi poteſt. Tumquòd non diſtinguit, de qua poteſtate, ergo nec nos diſtinguere debemus arg. l. de prætio ff. de publ. in rem act. ratio enim eadem in vtraquè viget, vt ſcilicet ſubditus ſuperiori obediat. Tumquòd plurium numero vtitur Apoſtolus. Ergo de pluribus poteſtatibus, & idcirco tam de Eccleſiaſtica, quàm de ſeculari intelligi debet, Omnis ergo anima ſubiecta ſit poteſtatibus ſcilicet ſuis, & idcirco Eccleſiaſticæ perſonæ ſubditæ ſint Perſonæ Eccl. non autem ſeculari; non igitur argumentum Theologi ex hinc probari poteſt.

Præterea quod prædicta, ſcilicet dictum illud, Poteſtas Principum ſecularium à Deo eſt, & aliud, Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubiecta ſit, ita accipienda ſint, vt non intelligantur Eccleſiaſticæ perſonæ ſecularibus poteſtatibus ſubditæ, hinc probatur, Quoniam Romani Pontifices, ad quos pertinent dubitationes huiuſmodi declarare c. per venerabilem verſ. Sed quia qui fil. ſint legit. & c. ſuper litteris de reſcript. & c. 1. de iur. cal. aſſeruerunt, Eccleſiaſticas perſonas laicis poteſtatibus ſubiectas nõ eſſe, nec iudicari ab ipſis poſſe. Nam Ioannes Papa ſic inquit in c. ſi Imperator di. 96. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus Chriſtianę Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, & recipi de errore remeantes. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus. Hęc ibi, quibus quid clarius, ac dilucidius afferri poteſt? Hinc not. Gloſſ. ibi in verb. Diſcuti, & ante conſtitutiones, Clericos nõ fuiſſe de iuriſdictione ſeculari, contra Theologũ in prima præpoſitione verſ. *Et nella primitiua Chieſa*: idem ait in c. numquam ead. diſ. & Nicolaus Papa in c. ſatis euidenter ead. diſt. 96. Inquit, à ſeculari poteſtate nec ſolui prorſus, nec ligari Pontificem, idem Gregorius inquit in c. quis dubitet ead. d. vbi Sacerdotes Regum, Principum, omniumq; fidelium Patres, atq; Magiſtri ab ipſo appellantur, ſic enim inquit ibi, Non ne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare? & ini-

quis

quis obligationibus eum ſuæ poteſtati ſubijcere, à quo credit non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe, & ſolui? Hæc ibi Gregorius: rationi naturali ergo repugnat, vt Eccleſiaſticæ perſonæ Principi ſeculari ſubijciantur. Idē Gelaſius Papa inquit in c. duo autem: ead.diſt.nam ait, Anaſtaſium Imperatorem puniri à iudicio Pontificio, non autem Pontifices redigi poſſe ad ſuam voluntatem. Vnde ſubiungit, à Pluribus Pontificibus excommunicatos eſſe Reges, & Imperatores. Idem Fælix Papa in c.certum: diſt.x. & in c. cōſtitutiones cum tribus ſeq. & habetur in vndecima q. 1. per totam. Idem aſſeruit Bonifacius VIII. in c. 2. de iud.& Alexander III.in c. etſi clerici, & Lucius III. in c. Clerici, & Innocentius I. in c. qualiter eod. & Concilium Pariſienſ. in c. 2.eod.& in ſexcentis alijs locis. Hinc ſtatutis laicorum, etiam ſi contra libertatem Eccleſiaſticam non ſint, & honeſta, tamen eorum ipſis clerici non obligantur, ita DD. communiter aſſerunt, vt teſtatur Dec. in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ nu. 37.verſ.Et primò occurrit illa quæſtio: de conſtitution. Idq; meritò, etſi enim ſtatutum bonum eſt, ad obligandum tamē non eſt ſatis, ex quo ad id poſtulatur iuriſdictio, quæ hic non habetur, ita DD.ibi, alioquin cuicunque priuato liceret ſtatuta facere, quod abſurdum eſt. Hinc dicitur laicis manere neceſſitatem obſequendi Eccleſiaſticis perſonis: non auctoritatem imperandi in c. fin. de reb.Eccl.non alien.cum ſimil.

Poſtremò probatur id etiam ratione naturali; ſi enim Principes ſeculares præeſſent perſonis Eccleſiaſticis, & in eas iuriſdictionem haberent, minus dignus præeſſet digniori, & inferior ſuperiori, quod naturæ repugnat, & iuribus c. cū inferior de maior.& obed.& c. inferior d. 19. Eccleſiaſticę enim perſonæ, vt quæ Deo inſeruiant, & in ſpiritualibus, dignores ſunt ſecularibus, quæ præſunt carnalibus. Hinc poteſtas Eccleſiaſtica ſeculari pręeſt ſicut Sol ipſi Lunę, & Aurum ipſi Plumbo, & anima corpori, ita inquit Romanus Pontifex in c. ſolitæ de maior. & obed. Hinc Bonifacius Octauus in extrauag. vnam ſanctam: de maior.& obed.in verſ. Oportet, ſic ait, Oportet autem temporalem poteſtatem ſubijci ſpirituali

poteſta-

poteſtati. In verſ. Spiritualem, ſic ait, Spiritualem autem, & dignitate, & nobilitate terrenam quamlibet præcellere poteſtatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto ſpiritualia temporalia antecellunt. Hæc ibi Sũmus Pontifex. Facit quoque c. duo ſunt genera 12. q. 2. & c. 1. in fi. diſt. 17. & c. omnes Principes: de maior. & obed. & c. illud eod. Ex quo igitur præſtantior poteſtas Eccleſiaſtica eſt, & Eccleſiaſticæ perſonæ ipſis ſecularibus; iure meritò ratione naturali repugnãte præeſſe ipſis ſecularis poteſtas non poteſt. Id quod ſentit Gregorius in cit. c. Sed quis dubitet, & dixit Felin. in cit. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ n. 8. verſ. Subdit D. Abb. Accedit, quòd Eccleſiaſticæ perſonæ cogerentur litigare coram iudice ſuſpecto cõtra c. quia ſuſpecti 3. q. 5. Clerici enim ſunt infeſti ſępè laicis c. laicos. 2. q. 7. & c. clericis de immunit. Eccl. lib. 6. & Fel. eod. n. 8. & experiẽtia rerum magiſtra, nunc id docet.

Confirmatur ratio hæc, quoniam Poteſtas omnis à Deo eſt, vt vidimus, quæ autem à Deo, ordinata ſunt; ac ſi ſecularis Princeps præeſſet Eccleſiaſticis perſonis, non eſſent ordinata, vtpotè quia minus digna dignioribus præeſſent, ergo non eſt hoc dicendum, atque ſic argumẽtatur Romanus Põtifex in eadem Extrauag. 1. verſ. Namq; cùm dicat Apoſtolus: de maiorit. & obed. Non igitur argumentum Theologi quicquam facit, & mirandum eſt velle ipſum ſuam opinionẽ nulla ratione probatam tantorum Patrum, ac Sanctorum Pontificum decretis, ac Concilijs præferre, ratione naturali præſertim repugnante: Quoad eccleſiaſticas perſonas ergo argumentum ſuum corruit: ſed de perſonis hactenus; iam de rebus Eccleſiaſticis, & locorum piorum agamus.

Secundò principaliter ex illis duobus dictis nõ colligitur, Principes ſeculares de rebus Eccleſiaſticis, & locorum piorũ diſponere poſſe, & idcirco Ducem Venetorum diſponere potuiſſe. Primò ob prædicta in antecedenti concluſione, quoniam bona hæc ſunt in numero rerum ſacrarum, vt tradidit S. Thomas 2. 2. d. 99. art. 3. de Sacris autem ſecularem poteſtatem diſponere non poſse, ex quo ei poteſtati proportionata non ſunt, iam concluſimus.

Prętereа ſi contrarium diceremus, Principes ſeculares per obliquum iuriſdictionem in Eccleſiaſticas perſonas nanciſcerentur, ex quo ratione bonorum Eccleſiæ neceſſe haberent adire ſecularium tribunalia, cõtra c. cum quid: de reg. iu. lib. 6. quod enim vna via prohibetur alicui, ad id alia admitti nõ debet. Etenim tanquam acceſſoria ſequuntur perſonam Eccleſiaſticam, & forum eius c. nouerit x. q. 1. & c. aduerſus, & c. non minus: de immunit. Eccl. & not. Abb. in cit. c. ſolitæ n. 3. dẽ maior. & obed.

Tertiò alia ſolidiſſima, ac firmiſſima ratione deprompta à natura rerum Eccleſiaſticarum id probo: Nam bona Eccleſiaſtica, necnon piorum locorum, eorumq; dominium Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſunt, vt dicitur in c. quiſquis, ibi, Quæ Dei ſunt. 12. q. 2. & in c. 1. ead. q. 1. vbi Stephanus Papa bona hæc appellauit pecuniam Chriſti, & in c. cum ſecundum Apoſtolum, vbi Innocentius III. nominauit ea patrimonium Chriſti, & Bonifacius Octauus in c. cum ex eo: de elect. lib. 6. vbi, & Gloſſ. notauit in verbis Chriſti, Dominiũ rerum Eccleſiaſticarum eſſe apud Deum, ac nouiſſimè Triden. Synod. ſeſſ. 25. de reform. cap. 1. vbi ne res Eccleſiaſticas conſanguineis Eccleſiaſticæ perſonæ donent, prohibet; & hoc ob eam rationem, quoniam Dei ſunt. Confirmatur id etiam ratione, quoniam omnia bona Eccleſiaſtica de ſententia S. Thomæ communiter recept. ſunt Sacra quartæ ſpeciei ſacrorum vt proximè dici. At omnia ſacra ſunt ſolius ipſius Dei §. nullius, & §. Sacræ in Inſtit. De rer. diuiſ. Nullius .n. ſunt, vt dicitur vbi, non illius generis, quòd fiant occupantium, iux. l. 3. ff. de acq. rer. dom. Sed ſunt nullius, ſcilicet hominis puri; Sed Dei, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti, non ſolùm iuxta illud, Domini eſt terra, & plenitudo eius, vt habetur in Pſal. 23. & refertur in c. 1. diſt. 18. & ſic de iure Diuino: ſed etiam iure gentium, ac ciuili; quoniam ſcilicet ei donata, & conſecrata ſunt, vel titulo ſingulari, vel vniuerſali inter viuos, vel inter mortuos, quibus modis, ac titulis dominium transfertur, vt habetur in tit. de Donat. & de legat. in Inſtit. ff. & C. & §. fin. in Inſtit. Per quas perſ. nob. acq.

atque ſic Gloſſ. communiter recept. interpretata eſt in cit. §. nullius, ait enim ibi, Nullius ſcilicet hominis, vel hominum, nec poſſunt eſſe, ſed ſunt in bonis Dei hominum cenſura, ſiue diſpoſitione. Ecce igitur hic apertiſſimè haberi, Eccleſiaſtica bona eſſe Dei, & Chriſti Domini hominum diſpoſitione, & eiſdem titulis ei acquiri, quibus acquiruntur hominibus; & hanc ſententiam, vt dominia rerum Eccleſiaſticarum ſecundum hanc rationem ſint Dei, & Ieſu Chriſti à Catholicis hominibus communiter recept. eſſe, teſtatur Nauar. in Tract. De reditibus Eccl. quæſt. p. num. 1. verſ. Primò quòd communis. Hinc Nauar. ibid. num. 6. inquit, nullis Prelatis, nec etiam Papæ ſine cauſa licere ſtabilia Eccleſiæ alienare c. nulli de reb. Eccl. non alien. & c. non licet Papæ 17. q. 2. Si ergo bona eccleſiaſtica Chriſti Domini ſunt; quo iure, qua ratione, qua fronte Principes ſeculares de his bonis quicquam ſtatuere, aut decernere audent? Planè id ego non video; non enim inferior in ſuperiorem, non minor in maiorem, eiuſuè bona iuriſdictionem habet c. cùm inferior: de maior. & obed. & c. inferior d. 21. & per totam ead. diſt. & in c. ſancta 2. q. 7. & ad ſtatuta facienda iuriſdictio poſtulatur c. fi. de conſtit. lib. 6. & tradit Bart. in l. omnes populi in 1. quæſt. princip. ff. de iuſtit. & iur. & Bald. in l. fin. per illum tex. C. de iuriſd. omn. iud. & Dec. & alij ab eo cit. in c. Eccleſia Sãctæ Mariæ nu. 28. verſ. Prima concluſio: de conſtit. requiritur inquam iuriſdictio in eum, quem vult quis ſuis decretis obligare, quæ iuriſdictio in hominibus, habito reſpectu ad Deum, deſideratur. Ac planè non ne ridiculum eum ſeruum quis diceret, qui rebus Domini legem imponeret?

Poſtremò per ſacros Canones expreſſum id habemus, laicos nullo modo de rebus eccleſiaſticis diſponere poſſe. Nam primò id legitur in c. benè quidem d. 96. verſ. Primum quòd contra, vbi dicitur, laicis quamuis religioſis nullam vnquam de Eccl. facultatibus aliquid diſponendi attributam facultatem legi. Idem in verſ. Veruntamen etiam, vbi prohibentur laici, quamuis potentes ſint, ne diſponere poſsint quolibet modo de eccleſiaſticis facultatibus. Et redditur ibi ratio,

quoniam ſolis Sacerdotibus diſponendi de ipſis indiſcuſsè à Deo cura commiſſa docetur, ita Symachus Papa in Synodo ibi aſſerit,& not. Secundò idem refertur in c.non placuit laicum,& in c.laicis 16. q. 7. atq; ſic Abb. ac Dec. aſſerunt in c. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ nu. 28. verſ. Prima concluſio Abb.de conſtit. Tertiò idem habetur in c. fin. de reb. eccl. alien. vel non alien. nam laicis,quamuis religioſis diſponendi de rebus Eccleſiæ nullam tributam eſſe facultatem ibi quoq; dicitur; & hoc ob eam rationem, quòd ipſis manet neceſſitas obſequendi, non auctoritas imperandi, ita Innocentius Tertius in Concilio generali relato in eodem c. fin. Idem inquit Ioãnes Papa in c. ſi Imperator in ead. d. 96. etenim eccleſiaſtica bona ſequuntur perſonam eccleſiaſticam, & forum ipſius c. nouerint conditores x. q. 1.& ita not. Abb. in c.ſolitæ num.3. de maior.& obed.& facit c.præcipimus 12. q. 1. cum ſequen. & x. q. 1. per totam, & ita in fine not. ibi Grat. Eccleſias, & oblationes, & facultates earum non pertinere ad diſpoſitiones laicorum, ſed ad Epiſcopos, & Prȩlatos Eccleſiæ. Hinc, vt ſacrilegus habetur Princeps laicus, qui diſpoſitionem, ſeu dominationem rerum,ſiue poſſeſſionum eccleſiaſticarum ſibi vindicat, vt ait Caliſtus Papa in c. ſi quis Principum 16. q. 7. Hinc ſtatuta diſponentia de rebus Eccl. & de perſonis nõ valere aſſeruit Dec. in eod. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 53. vſq; ad num. 64. Quare leges, quæ habentur in C. de ſacroſanct. eccl. quæ de rebus eccleſiaſticis loquuntur, nec Auth. lus porrectum C. eod. valent, niſi ab Eccleſia probentur, vt dixit Dec.in eod.tit. c.Ecleſia Sanctæ Mariæ nu.29.& nu.32. verſ. Non obſtat, & DD. ab eo ibi cit. A veritate igitur alienìſſimum eſt, Ducem Venetorum poſſe, ac potuiſſe diſponere de rebus Eccleſiaſticis contra Sacrorum Canonum diſpoſitiones,& Pontificũ ſanctiones, quandoquidem nullius momenti ſunt, vt dixit Symachus Papa relatus in c. conſtitutiones contra canones: diſt. 10. & de hoc ſecundo ſatis.

Quoad tertium etiam,quod poſſint Principes ſeculares de rebus laicorum Eccleſijs, ác pijs locis nondum acquiſitis diſponere, ne ad ipſa ſine eorum licentia tranſeant, vbi à domi-

nis liberè,ac ſpontè eis relinquuntur,& idcircò Ducem Reipub. Venetorum licitè hoc decernere,ac Decretum huiuſmodi promulgare potuiſſe,falſiſſimum etiam hoc eſt,& à veritate alieniſſimum; nec colligitur ex duobus dictis à Theologo propoſitis, videlicet ab eo, quòd Princeps ſecularis poteſtatẽ habet à Deo ſine exceptione, quandoquidem probatum eſt, poteſtatem hanc conceſſum eſſe cũ exceptione perſonarum, ac rerum eccleſiaſticarum; minus etiam ex ſecundo, vt ex dictis apparet.

Præterea probatur etiam, quòd Decretum hoc non valeat, quoniam DD. Bart. Old. Abb. Angel. Imol. & Raphael. & Alex. & communiter DD. tenent, ſtatutum non valere prohibens alienationem rerum immobilium in Eccleſias, ac Monaſteria in l. filiusfam. §. Diui ff. de leg. 1. in 1. lect. & quamuis Iaſ. contraria ſententia videatur ſibi magis arridere, opinionem tamen Bart. magis communiter recept. ipſemet teſtatur in eod. §. Diui nu. 82. & in conſulendo, & iudicando eam tenendam ibi ſuadet; de communi quoque teſtatur Clar. in Prax. Crim. §. fin. q. 82. cap. ſtatutum quintum circa alienationis: idem: teſtatur Viu. in ſua Sylu. opin. 755. n. 2. cum ſeq. & omiſſis alijs rationibus, his potiſſimum eam ego probo.

Primò, quoniam ſi ſtatutum, ac Decretum huiuſmodi valeret, Chriſtus Dominus, cui bona relicta Eccleſijs, ac pijs locis acquiruntur, vt ſupra proximè probauimus, incapax ſtabilium bonorum redderetur, quòd non minus iniuſtum, quã impium eſt, quò enim quis quempiam inhabilem reddat, neceſſariò poſtulatur, vt iuriſdictionem in ipſum habeat, & ſubiectus ei ſit, vt dixit Bart. in l. 1. ff. de tut. & curat. dat. ab his, & cum Bart. tranſeunt DD. communiter, vt teſtatur Viu. in ead. Sylu. opin. 814. Hoc autem nullo modo hic eſſe poteſt, vt per ſe patet.

Secundò facit, quoniam ſtatutis huiuſmodi, ac Decretis, vt ſupra dixi, Chriſti fideles auocantur à pijs operibus, quòd redundat in præiuditium etiam animarum ſuarum, vt per ſe patet. At Decreta talia non valent, vt in ſimili de ſtatuto diſponente quòd Monaſterium ingrediens patri, vel matri ſuc-

cedere

cedere non poſſit, ob rationem prædictam, concludunt communiter DD. vt teſtatur Iaſ. in l. fin. nu. 24. cum ſeq. C. de pact. & Viu. in ſua Sylu. opin. 810. qui etiam de communi teſtatur cõtra Bart. Etenim nec ſtatutum valet diſponẽs, quòd vxore ingrediente religionẽ maritus lucretur certam partem dotis, vt conſuluit Anchar. in conſ. 288. quem refert, ac ſequitur Iaſ. in ead. l. fin. n. 26. verſ. Tertiò moueor. Hinc rogatus de reſtituendo ei relictum, ſi nuptias non contraxerit, conditio illa tollitur, ſi Monaſterium ingrediatur, vt habetur in S. ſed & hoc præſenti in Auth. de Sanctis Epiſcop. Id quòd ob eam rem fit, quòd vita cõtemplatiua perfectior eſt actiua. Ex quo igitur, vbi impeditur profectio animarum, nec ſtatuta valent, ergo nec Decreta facta à Duce, ac Senatu Veneto, quibus auocantur à pijs operibus fideles, valebunt.

Poſtremò facit, quoniam ſtatuta hæc, ac Decreta redundant in graue damnum piorum locorum, quod negari non poteſt. Item priuantur facultate, ac communi iure acquirendi ipſi Deo, qua facultate, & quo iure non priuãtur laici, etiã viliſſimi, & ſic deteriori conditione loca pia ſunt ipſis laicis, imò ipſe Deus. At ſtatuta talia ſunt contra libertatem eccleſiaſticam, vt ſentit Bart. in Auth. caſſa C. de Sacroſ. Eccl. & D. in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, qui de communi ſententia teſtatur, & Abb. in c. nouerit. de ſent. excom. ergo non valent per cit. c. nouerit. Sicut nec etiam illud, ne Eccleſiæ ſine eiuſdem Senatus licentia conſtruantur. Tum quòd Pontificiã iuriſdictionem ſibi vſurpant, cuius licentia requiritur ad eccleſias conſtruendas, & non Senatus ſecularis c. Eccleſia, ideſt, & c. nemo eccleſiã: de conſecr. diſt. 1. & ita glo. in c. placuit 1. q. 2. Tum quod domicilium videntur denegare velle Chriſto Domino, quod abſurdum eſt, & cõtra diſpoſitionem Marcelli Papæ in c. fin. d. 96. Boni Principis eſt, ac religioſi, dicitur ibi, eccleſias contritas, atq; conſciſſas reſtaurare, nouaſq; ędificare, & Dei ſacerdotes honorare, ac tueri. Hæc Summus Pontifex. Ex quibus nullitas etiam huius Decreti habetur.

Ex omnibus igitur his manifeſtiſſimè conſtat non ob id, quòd Principes ſeculares poteſtatem à Deo habent, & quòd

omnis

omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubiecta ſit, concluſionem principalem Theologi probari: ſed contrà, totum eius argumentum ſupra poſitum ob prædicta tolli, atq; corruere.

Non ergo Dux Venetorum ſine exceptione poteſtatem ſecularem à Deo habet.

Non ergo Eccleſiaſticas perſonas ſubiectas habet.

Non ergo ſuis legibus obligare ipſas poteſt.

Non ergo etiam diſponere de rebus Eccleſiæ, piorumuè locorum valet, & onera ipſi imponere, & ne acquirãtur ipſis probibere.

Non ergo diſponendo de rebus Eccleſiaſticis, & coercendo perſonas Eccleſiaſticas delinquentes, & decernendo, ne ſtabilia pijs locis relinquantur, immunis à peccato eſt.

Non ergo illicitè fuit excommunicatus.

Non ergo Monitorium, & prædicta cenſura cũ in ipſum Ducem, tum in alios lata, de quibus in Monitorio, iniuſta, inualida, ac nulla ſunt, quod aſſerebatur, ſed iuſtiſſima, atq; validiſſima ratione etiam Materiæ circaquam, vt probauimus; ſed iam de materia in quam agamus.

S V M M A.

Dux Reipubl. Venetorum, necnon alij, de quibus in Monitorio, & de iure poſitiuo legitimè ſunt excommunicati. Nam

Admoniti ſunt.

Item ter admoniti.

Et perſonaliter.

Et de eorum contumacia notoriè apparuit.

II.

§. QVoad materiam itidem in quã, ideſt quoad Ducem Reipubl. Venetorum, ac reliquos, de quibus in Monitorio (omiſſis neceſſarijs, de quibus egi in Tract. de Cenſur. Tab. 1. cap. 17. §. 2. cum quinque ſequen. quæ ineſſe ipſis nemo dubitat, qui in his litteris mediocriter verſatus ſit) quod ea ſeruata ſint, quę in cenſuris ferendis de iure poſitiuo ſeruanda ſunt, & ſi non neceſſariò, hinc probatur. Nam primò

mò & Dux, & Senatus tam extra iudicium, quàm in iudicio moniti ſunt, quò ſcilicet reuocarent acta, ac decreta ab ipſis promulgata contra libertatem Eccleſiaſticā, vt dicitur in Monitorio, quæ monitio requiritur ad excommunicationem, & cenſuras ferendas, vt habetur in c. ſacro: de ſent. excom. lib. 6. & in c. repræhenſibilis, vbi Abb. ac DD. not. de appell. & in c. cùm ſpeciali eod. in antiq. & in c. Romana: de ſent. excom. lib. 6. & in c. omnes decimæ 16. q. 4. & in c. de presbyterorum 17. q. 4. cum ſimil. cit. à me in Tract. De Cenſ. Tab. 1. cap. 18. nu. 1. Idq; meritò, excommunicatio enim in primis fertur, vt à contumatia quis diſcedat; an autem cōtumax ſit nec ne, niſi prius admoneatur, ſciri non poteſt. Iure igitur admoneri debuerunt, & admoniti ſunt, vt ſtatuta prædicta reuocarent, & reliqua omnia ab eis facta contra libertatem eccleſiaſticam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Secundò canonicè admoniti ſunt, ſcilicet trina admonitione; hæc enim canonica admonitio eſt, vt habetur in cit. c. omnes decimæ 16. q. 7. & in eod. c. de presbyterorum 17. q. 4. & in c. cōſtitutionem § . ſtatuimus de ſent. excom. lib. 6. & vt id pluribus etiam probaui eod. c. 18. §. 2. nu. 1. Et quamuis vna vice monitiones trinę factæ ſint, interuallum tamen octo dierum inter vnam, & alteram interuenit, id quod iure fieri poteſt, vt habetur in cit. c. conſtitutionem §. fin. de ſent. exco. lib. 6. Immò hic nulla monitio poſtulabatur; nam ipſo iure ob cauſas in Monitorio expreſſas, iam excommunicati erant, ſcilicet ob captionē eccleſiaſticarum perſonarum, per cap. ſi quis ſuadente diabolo 17. q. 4. Item ob ſtatuta, quæ contra libertatem Eccleſiaſticam fecerūt, vt habetur in c. fin. de immunit. eccl. lib. 6. & in c. grauem, & in c. nouerit de ſent. exco, in atiq. At, vbi quis excommunicatur pro facto, pro quo iam excommunicatus erat à iure, monitio neceſſaria non eſt, quippe, quia de eius contumacia iam conſtat, vt habetur in c. repræhenſibilis: de appell. & ego id pluribus probaui in eod. cap. 18. nu. 2. verſ. ſecundò ex parte, ergo.

Tertiò perſonaliter admoniti ſunt, id quod patet, quoniam ad eorum manus Monitorium peruenit, & illud nullum, atq;

iniu-

iniuſtum aſſeruerūt, quod nequaquam facere poſſent, niſi id nouiſſēt. Addo, ſi ad eorum manus non peruenit, eorum culpa factum eſſe, quo caſu pro admonitis habentur, vt aſſerit ead. cap. §. 1.

Quartò de eorum notoria contumacia apparuit, ex quo non reuocarunt ſtatuta prædicta, nec dimiſerunt eccleſiaſticas perſonas, quas in carceribus detinebant; hoc enim conſtare debet antequàm excommunicatio feratur. Immò quorundam conſilijs ducti (de quibus Eccleſia Sancta Dei dicere poteſt id, quod Dauid, Qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem) auſi ſunt aſſerere, ſe non potuiſſe a Romano Pontifice excommunicari, atque iniuſtè, & nulliter fuiſſe excommunicatos. Quod quam alienum à Chriſtiana pietate, & à recta ratione ſit ex dictis conſtat. Ex hac parte igitur etiam Monitorium iuſtiſſimum eſt, & Cenſuræ per ipſum latæ iuſtiſsimæ, ac validiſſimæ; iam de forma agamus.

CAP. IV.

SVMMA.

Ratione forma neceſſaria Dux Reipublic. Venetarum, necnon reliqui, de quibus in Monitorio, legitimè excommunicati ſunt.

Forma neceſſaria excommunicationis verbis exprimi debet.

Iis verbis quibus ipſo iure excommunicatio feratur.

Comprahendere eiſdem debet, qui excommunicantur.

QVuoad formam denique, quod Monitorium, & Cenſuræ per ipſum latæ iuſtiſsima ſint, ac valida, hinc facillimè conuincitur, quod vtraque forma Cenſuræ ferendæ (duplex enim eſt alia neceſſaria, alia non neceſſaria) à Pontifice Maximo ſeruata omninò hic eſt.

Nam neceſſaria forma ſunt verba, quibus Cenſura, & excommunicatio ipſo iure in aliquem infertur. Quę primò ver-

bis exprimi debet; non enim ſi Iudex animo tãtum quem ex-cõmunicet, excõmunicatus quis erit, vt aſſerui in Tract. meo De Cenſ. Tab. 1. cap. 20. §. 1. vbi pluribus id probaui, At hic, vt per ſe patet, apertiſſimis verbis excommunicatio lata eſt.

Secundò ijs verbis exprimi debet, quibus ſi purè excom municatio lata eſt, ſtatim excommunicatus ſit; ſi ſub condi tione, ea purificata, alioquin cominatoria eſſet, & non lat ſententiæ, vt probaui in eod. cap. §. 4. At hoc in Monitorio ſ uatum eſt, dicitur enim ibi Excommunicamus, &c. quib verbis vti temporis præſentis modi Indicatiui, ſtatim exco municatio fertur arg. c. excommunicamus. 1. & 2. de hære Clem. 2. de ſent. excom. & c. 3. §. hoc igitur, verſ. Vniuerſi quoq;, de immunit. eccleſ. lib. 6. etenim pro regula com niter receptum eſſe teſtatur Felin. in c. Rodulphus nu. re ſcript. verba præſentis temporis Cenſuram latæ ſen ferre; id quod & Ego probaui pluribus in ead. Tab. 1. c 6. nu. 6. & dubitationem id non habet, ergo.

Tertiò eadem forma complecti debet ipſos, qui ex nicantur, tanquam materiam in quam fertur excom tio: Idq; merito; non enim forma quicquam operatu ſit materia, ſuper quam cõſiſtat; etenim quò actus f cũ materia concurrere debet arg. l. 1. & 2. ff. de vſu vti incertam nullam fore, atq; ſic Ego probaui ead 20. §. 5. Hoc igitur etiam hic ſeruatum fuit illis ve tunc, & pro tempore exiſtentem Ducem, & Sena blic. Venetorum ſtatutarios, & eorum fautores, municamus, &c. quibus verbis habentur quinam nicantur.

Nec repugnat ſi dicatur, iniuſtam videri ha nicationem, ex quo non ſolum excommunica ſens, & alij, verumetiam, & pro tempore exiſte velit vel pro alterius contumacia ſucceſſorem care, quod fieri non debet, vt dicitur in c. ſi ha vt Ego in eod. Tract. Tab. 1. cap. 17. §. 8. plu egi. Vel non contumacem excommunicare co pi, & c. nemo Epiſcoporum, & c. nullus xj. q. 3

ri etiam non poſſe probaui ead. Tab. 2. c. 27. Non repugnat, inquam iſtud, excõmunicat enim Ducem pro tempore exiſtentem, & ſucceſsorem in dignitate, ac reliquos non ſimpliciter, ſed ſecundum antecedẽtem conditionem ſupra poſitam; ſcilicet ſi non reuocarint ſtatuta, ac Decreta iam facta, vel contra libertatem Eccleſiaſticam ſtatuta fecerint, quo caſu non pro alterius contumacia, ſed pro ſua excommunicantur, ſi non paruerint, & ita habetur in ſimili in c. aduerſus, de immun. eccl. & Ego in eod. Tract. tab. 1. cap. 17. §. 8. nu. 2. declaraui, ac probaui. Ratione formæ igitur neceſſariæ Monitorium legitimè promulgatum eſt, & idcircò validum, necnon Cenſuræ per ipſum latæ. Sed de forma non neceſſaria iam agamus.

S V M M A.

1 *Forma non neceſſaria Cenſuræ ferendæ ſeruata eſt in Cenſuris latis contra Ducem Reipubl. Venetorum, & quoſdam alios.*
2 *Forma hæc poſtulat duo vt de ſcripto feratur.*
3 *Item vt iuſtam cauſam contineat.*
4 *Theologus dupliciter errauit aſſerendo excommunicationem, & Interdictum lata à Paulo Quinto nulla eſſe de iure poſitiuo.*
5 *Denunciati etiam ſunt Dux, & Reliqui excommunicati à Romano Pontifice, & ideo acta ab ipſis ratione Iuriſdictionis, ac poteſtatis nulla ſunt.*

I.

§. 1. QVoad alteram formam denique ſcilicet non neceſſariam ad cenſuras ferendas, quòd & hæc ſeruata ſit, & idcirco Cenſuræ in Ducem, & Venetos legitimè latæ ſint, hinc probatur. Nam forma hæc poſtulat, Primùm, vt de ſcripto feratur, ſcripta enim eſse debet, vt habetur in cap. 1. de ſent. excommun. l. 6. & ibi DD. omnes, & idem dixit Gloſs. in c. 1. §. poſtquam de cenſ. eod. lib. & Ego in Tractat. meo De Cenſ. Tab. 1. cap. 21. nu. 1.

Secundò poſtulat, vt iuſtam cauſam conti
brem excommunicatio fertur, vt dicitur eod.c.
com. & ego pluribus id egi in eod. cap. 21. vb
rationes a DD. allatas, quamobrem cauſa inſer
reddidi, quò Cenſura irretitus, & excommun
qua contumatia diſcere debeat, quę omnia in
ſeruata eſſe apertiſſimè conſpicimus. Non ne
forma hæc dicitur, quoniam, ſi hæc deo non
hilominus Cenſuræ regulariter valent, vt habe

Hinc apparet, quam longè aberrauit Th
ſua Epiſtola in ſeptima propoſitione: dum ne
nicationem, & Interdictum latū à Paolo Q
etiam de iure poſitiuo, eo quod non ſit ſeruat
ptus à Canone in Tit. De ſent. excom. lib. 6. C
citer errauit. Primò dum negat Canonis ordi
qui ordo ſolùm continetur in cap. 1. eod. tit.
alio edi[illegible] quandoquidem reliqua nihil
& hic ordo eſt, quem proximè poſuimus, ſci
pro Cenſuræ ſententia feratur; & vt Cauſa
tetiam inſeratur. Quæ duo in Monitorio ſeru
bauit. Quare vel non vidit Monitorium Paul
c. vel neutrum vel ſi ipſa vidit, ea non int
[illegible] Secundò errauit in hoc, quòd
Canonis non ſeruatum nullam eſſe Cenſura
concluſit. Quod falſiſſimum eſt: nam & eo c
to Cenſuræ valent; declarat hoc ibi Summ
præcipit. ſi ille ordo non ſeruetur, vt ſuperio
ritur, ipſam ſententiam ſine difficultate rela
ſine difficultate relaxans. Si ergo relaxari c
valebat; Si enim nulla eſſet, non opus eſſe
quò naturaliter vbi [illegible] non eſt, ibi n
arg. c. ad diſſoluendum de diſpenſ. impub
à Gloſſ. & arg. l. decem, vbi DD. commi
verb. oblig. quamobrem & ordinem hunc
cellaria poſui. Et ex hoc ſecundo erro, ſucce

hunc, quænam ſit forma neceſſaria, vel non neceſſaria ad Cenſuras ferendas, ignorare, & in Canonica diſciplina verſatum non eſſe; ac demum Cenſuras à Paulo Quinto in Ducem, & in Reliquos, (de quibus in Monitorio, & de iure poſitiuo, quod negabat Theologus ille) validiſſimas eſſe.

Immò, quod excommunicatione irretitus, niſi denunciatus, notoriuſuè ſit, vitari nec in diuinis debet, & quod geſta ab ipſo excommunicato valent, vbi nec notorius, nec denũciatus eſt ob Extrauag. Ad euitanda, (quæ habetur apud Cõcilium Baſilienſe, ſeſſ. 20. tit. de Excom. non euit. & probata eſt à Nicolao Papa Quinto per Bullam ſuper approbatione actorum Concilij Baſilienſis, & recept. à Cõcilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. xj. quam Ego poſui, ac declaraui in eod. Tract. de Cenſuris Tab. 1. cap. 13. §. 7. & facit c. ad probandum de re iud.) ob eam rem Summus Pontifex, vt Dux, & alij excommunicati ab omnibus, & in omnibus vitarentur, atque ab ipſis geſta ratione iuriſdictionis, ac poteſtatis nulla eſſent, quò celerius à contumacia diſcederent, non ſolum ipſos excommunicauit; verum etiam excommunicatos denunciauit, & declarauit, ibi, excommunicamus, & excommunicatos denunciamus, ac declaramus. Id quod & in Interdicto ſeruatur.

Ex his igitur iam manifeſto conſtat, ex quo Monitorium, ac Cenſuræ per ipſum latę tam ratione cauſæ efficientis, ac finalis, quàm ratione Materiæ, ac formæ, & de iure Diuino, & de iure poſitiuo iuſtiſſima, ac validiſſima ſunt (quæ nobis probanda propoſuimus) ob eam rem nequaquam iniuſta, illegitima, inualida, nullauè eſſe, aut dici poſſe, ſicut Dux, & Theologus ille, & qui eos ſequuntur, aſſerebant, ſed tanti Pontificis admirabili ſapientia, ſingulari doctrina, ſumma prudentia, graui iudicio digniſsima.

Reliquum igitur eſt, ſi ſuæ, ac Reipublicę ſaluti Dux Venetorum, & ij, de quibus in Monitorio, conſulum velint, vt à contumacia diſcedant, facta, atq. Decreta cõtra libertatem Eccleſiaſticam reuocent, & ad ſummam vt Pontifici Maximo

Domi-

Domini Noſtri Ieſu Chriſti in terris Vicario
ſtatuant, tam veterum, quàm recentiorum Re
ac miſerandus caſus ob oculos habendo, qui
ctam Dei perſecuti ſunt; nam moliantur
eorumq; membra contra ipſam quicqu
nihil tamen agent; quandoquidem p
feri aduerſus eam non præualebu
Faxit Deus Opt. Max. vt hæc a
diant: id quòd vt fiat aſſi-
duis præcibus Chriſti
fideles omnes
ab eodem
con-
tendere debent.

† †

FINIS.

Imprimatur.

Fr. Aloyſius de Vrceis Vicarius Inquiſit.

Io. Maria Belletus Vicarius Generalis.

99532